

sit major ratio de parentum delicto antecedente, quam subsequente. Tum quia ipse Deus quoque filios ante delictum parentum natos, ob subsequens illorum delictum subinde punire solet, prout bene notat c. *Vergentis*, 40, h. t., ubi postquam de pœna filiorum parentis hæretici ordinationem fecit Papa, subjungit: Nec hujusmodi severitatis censuram orthodoxorum exhæreditatio filiorum, quasi cujusdam miserationis prætextu debet ullatenus impedire; cum in multis casibus, etiam secundum divinum iudicium, filii pro parentibus temporaliter puniatur.

288. *Probatur alia ratione.* — Secunda ratio est, quia jura præsumunt fore, ut filii imitentur mores parentum, arg. l. *Quisquis*, § *Filii*, c. *Ad Leg. Jul. majest.* et pluribus loc. cit. probat Sanchez.

289. *Et consuetudine legem interpretante.* — Accedit praxis, et consuetudo optima legum interpretes, l. *de Interpretatione*, ff. *de Legib.* vi cujus constat, etiam ante crimen hæresis natos filios hæreticorum puniri; de qua praxi plures etiam practici testantur doctores, in specie Simancas, *de Catholicis instit.* tit. XXIX, n. 22; Rojas, *de Hæret.* p. 2, n. 356. Pennas, etc. quibus, cum teste Sanchez, loc. cit. fuerint inquisitores fidei, utique credendum.

290. *Plures probabiliter cum Sanchez docent, filios hæreticorum ante eorum lapsum natos, non incurrere pœnas juris.* — Plures rationes et fundamenta hujus sententiæ, qui desiderat, videat apud Covarruviam, loc. cit. et Sanchez, loc. cit. a n. Qui tamen ultimus postquam longe lateque probavit nostræ conclusionis sententiam, n. 10 amplectatur, et usque ad finem probare conatur contrariam, videlicet filios hæreticorum natos arte hæresin pœnis juris non subjacere; quem, dato casu, pro favore talium filiorum legere poteris. (ADNOTATIO XXI.)

291. *Qui per preces hæretici beneficium obtinent, privantur sic obtento, et sunt inhabiles ad alia.* — Quæritur VIII. Quid juris de illis, qui ad preces vel recommendationem hæreticorum acquirunt beneficia? Resp. Illos ipso actu in perpetuum privari taliter acquisitis, et, si tale beneficium scienter, id est, scientes, eum, qui preces offert, esse hæreticum, ut explicat Glossa, in c. *Statim citandum*, §. *Scienter, acceperunt*, etiam ad alia fieri inhabiles, ita clare statuitur c. *Quicunque*, § *Ad hæc*, h. t. in 6, ibi: « Ad hæc

quoscunque viros ecclesiasticos, qui ad preces hujusmodi pestilentium personarum dignitates, personatus, et quæcunque alia ecclesiastica beneficia sunt adepti, ex tunc privamus taliter acquisitis; volentes, quod tales et habitis careant perpetuo, et si receperint illa scienter, ad alia vel similia nequaquam in posterum admittantur. »

§ VI.

DE PœNIS HÆRETICORUM TEMPORALIBUS, ET CORPORALIBUS.

292. *Pœnæ hæreticorum temporales in compendio referuntur.* — Pœnæ hæreticorum temporales in compendio sunt sequentes. I. Est infamia, et inde sequens inhabilitas ad omnes actus civiles. II. Intestabilitas tam activa, quam passiva. III. Amissio patriæ potestatis in filios. IV. Dotis, et aliorum privilegiorum mulieribus de jure concessorum. V. Confiscatio omnium honorum. VI. Quod vasalli et servi, aliique liberentur ab omnibus etiam juratis obligationibus domino, vel aliis debitis. VII. Pœnæ corporales, mortis præsertim, et perpetui carceris. De quibus omnibus specialia instituemus quæ sita. Hinc

293. *I. Est infamia, ad quam tamen requiritur sententia declaratoria judicis.* — Quæritur I. An, et qualiter hæretici contrahant pœnam infamiæ? Resp. I. Hæretici omnes sunt infames infamia juris. Communis, et certa, can. *Infames*, 17, cau. 6, q. 1, c. *Excommunicamus*, 13, § *Credentes*, h. t. et *Authent. Gazaros*, c. h. t. ibi: « Omnes hæreticos utriusque sexus quocunque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia. » Ad quam tamen incurrendam requiritur sententia non quidem condemnatoria, sed declaratoria criminis commissi, ut cum communi bene advertunt Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. xxvi, n. 1; Azorius, p. 1, lib. VIII, cap. xiii, q. 8, § *Septima*; Pirhing, h. t. n. 52; Layman, lib. II, tr. I, cap. xvi, et alii.

294. *Nisi sit hæreticus notorie talis.* — Nisi crimen hæresis sit publicum, et notorium, tunc enim absque ulla sententia declaratoria ipso facto infamis est hæreticus, tamen, ut per conversionem iterum ipso facto aboleatur infamia, Sanchez, loc. cit. n. 2; Azorius, loc. cit.

295. *An, et qualiter pœna infamiæ afficiat*

fautores, defensores, etc. hæreticorum? — Resp. II. Pœna infamiæ etiam receptores, defensores, et fautores hæreticorum afficit, non ante tamen, quam fuerint declarati excommunicati, et ab eo tempore intra annum satisfacere contempserint. Textu claro cit. c. *Excommunicamus*, 13, § *Credentes*, h. t. ibi: « Credentes præterea, receptores, defensores et fautores hæreticorum excommunicamus, firmiter statuentes, ut postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit, ex tunc ipso jure sit factus infamis. » Ex quo textu patet, hujusmodi receptores, etc. ab infamia esse liberos, si intra annum satisfecerint.

296. *Hæretici sunt inhabiles ad officia, honores et actus civiles.* — Resp. III. Hæretici, eorumque receptatores, defensores, etc. sunt etiam inhabiles ad honores, officia publica, et omnes actus civiles, ita ut nec iudices, nec advocati, nec testes, nec consilarii, aut alii officiales, vel ministri publici esse valeant, Barbosa, in c. *Excommunicamus*, 13, h. t. a n. 25; Farinacius, *de Hæresi*, q. 89, a n. 43, eoque teste canonistæ omnes, arg. cit. c. *Excommunicamus*, 13, § *Credentes*, h. t. ubi potest textum n. præced. allegatum immediate subjungitur: « Nec ad publica officia, seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur. » Concordat c. *Quicunque*, 2, § *Hæreticis*, eod. in 6, *Manichæos*, 4, l. *Que Samaritis*, 18, juncta *Authent. Credentes*, c. *de Hæreticis*. Quibus juribus etiam statuitur, quod si quis horum ad honorem, dignitatem, aut officium publicum assumatur, vel aliquem ex dictis actibus exerceat, omnia nulla et irrita esse.

297. *II. Pœna est intestabilitas activa et passiva.* — Quæritur II. An, et qualiter hæresis inducat pœnam intestabilitatis? Resp. I. Hæretici nec testamentum, nec codicillum, nec aliam voluntatem ultimam facere, nec hæredes institui, nec ex alia voluntate ultima quidquam capere, nec ab intestato succedere possunt. Communis, et certa, claris juribus cit. c. *Excommunicamus*, 13, § *Credentes*, h. t. ibi: « Sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat. » et l. *Manichæos*, 4, § 2 et § 3, c. h. t. ibi: « Ipsos quoque volumus amoveri ab omni libertate et successione, quolibet titulo veniente: » et infra § 5: « Ergo et scriptura illius irrita sit, sive testamento,

sive codicillo, sive epistola, sive quolibet alio genere reliquerit voluntatem. » Concordant. *Authent. Credentes*, et l. *Ariani*, et l. fin. c. eod. ibi: « Divinam nostram sanctionem, per quam jussimus, neminem errore hæreticorum constrictum hæreditatem, vel legatum, vel fideicommissum accipere, etiam in ultimis militis voluntatibus locum habere præcipimus, sive jure communi, sive militari testentur. »

298. *Etiam ad pias causas.* — Et quoniam præfata jura universaliter, et indistincte loquuntur, nec ad pias causas testari, vel ultimam aliquam voluntatem facere possunt hæretici. Farinacius, *de Hæresi*, q. 190, § 6, n. 92; Barbosa, in c. *Excommunicamus*, 13, h. t. n. 29; Pirhing, h. t. Nec militare testamentum concedere, l. fin. c. h. t. nec filios instituere valent, l. *Manichæos*, 4, § 6, c. h. t. ibi: « Sed nec filios, nec hæredes eis instituere, aut audire permittimus. »

299. *Quæ secundum aliquos primum post sententiam declaratoriam.* — Controversia autem est inter doctores, num hæc pœna intestabilitatis habeat locum etiam ante sententiam judicis condemnatoriam, vel declaratoriam? Sanchez enim lib. II, *Moral.* cap. xxiv, n. 3, et illum sequens Castro Palao, *de Fide*, tr. IV, disp. 3, pun. 26; Farinacius, *de Hæresi*, q. 1, 190, n. 89; Pirhing, h. t. n. 74, et alii volunt, testamentum hæretici ante sententiam judicis esse validum, posse tamen per sententiam invalidari, arg. c. *Excommunicamus*, § *Credentes*, h. t. ubi dicitur: sit intestabilis, quo verbo sit, temporis futuri sententiam ferendam importari, dicunt.

300. *Secundum probabiliorem vero ante illam obligat.* — E contra Barbosa, in c. *Excommunicamus*, h. t. n. 30; Covarruvias, in *Clem. Si furiosus*, p. 1, § 2, n. 2; Pennia, in *Director. inquisit.* p. 2, comment. 163; Peregrinus, *de Jure fisci*, lib. V, tit. I, n. 172, et alii docent, testamentum hæretici esse ipso jure nullum, ita, ut si sequatur sententia declaratoria criminis, effectus retrahatur ad diem commissi criminis, et ab illo censeatur testamentum nullum. Ratio est, quod, licet textus juris canonici interpretando trahi posset ad priorem sententiam, tamen jure civili clare sancitum habeatur, omnem ultimam voluntatem hæretici irritam esse, cit. l. *Manichæos*, 4, § 5, c. h. t. textum lege supra n. 297.

301. *III. Est privatio patriæ potestatis.* —

Quæritur III. Qualiter hæretici amittant patriam potestatem? Resp. Hæretici a die commissi criminis ipso facto amittunt patriam potestatem in liberos, hique efficiuntur sui juris, ita ut pater hæreticus illos nec emancipare nec eis impuberibus substitutionem pupillarem facere valeat. Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. xxiv, n. 5 et 6; Farinacius, *de Hæresi*, q. 197, n. 29; Pirhing, h. t. n. 9, textu claro c. *Quicumque*, 2, § fin. h. t. in 6, et ibi Glossa communiter recepta; §. *Desierint*.

302. IV. *Amisio dotis et omnium privilegiorum mulieribus de jure competentium.* — Quæritur IV. An, et qualiter dotis, et alia privilegia amittant mulieres hæreticæ? Resp. Privilegium dotis, quo mulier creditoribus tempore prioribus anteponitur, necnon de tacitis hypothecis, et alia omnia mulieribus a lege data, clauduntur his, quæ catholicam non participant communionem, ita in formalibus statuitur § *Item privilegium*, c. h. t. Ex qua generali dispositione Decianus, et alii recte inferunt, etiam beneficium S. C. Velejani et alia mulieribus hæreticis adimi.

303. V. *Est confiscatio omnium bonorum.* — Quæritur V. An, et qualiter in pœnam confiscentur bona hæreticorum? Resp. I. Bona hæreticorum omnia a die commissi criminis ipso jure censentur confiscata, ita ut nec filiis eorum catholicis successio aliqua, vel hæreditas relinquatur. Barbosa, in c. *Vergentis*, 10, h. t. n. 3 et 29; Farinacius, *de Hæresi*, q. 190, n. 3; Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. xiv, n. 1, eoque teste omnes, et vere, idque ob clara c. *Vergentis*, 10, h. t. c. *Cum secundum*, 19, h. t. in 6, ibi: « Bona hæreticorum ipso jure de fratrum consilio decernimus confiscata. » Concordat. Authent. *Gazaros*, c. h. t. ibi: « Censentes, quod omnia bona talium (hæreticorum) confiscentur, nec ad eos amplius revertantur, ita ut filii eorum pervenire non possint: » ubi etiam, sicut c. *Vergentis*, 10, h. t. ratio redditur: videlicet quod, cum reorum criminis læsæ majestatis bona dicto modo confiscentur, l. *Quisquis*, 5, pr. c. *Ad Leg. Jul. majest.* quanto magis (sunt verba c. *Vergentis*, h. t.) qui aberrantes a fide Domini Dei Filium Jesum Christum offendunt, a capite nostro, quod est Christus, ecclesiastica debent distinctione præscindi, et bonis temporalibus spoliari; cum longe sit gravius, æternam, quam temporalem lædere majestatem.

304. *Quæ tamen ante sententiam declarationem non obligat.* — Resp. II. Quamvis hæreticorum bona ipso jure sint confiscata, indeque nulla requiratur sententia condemnatoria criminis, juxta dicta: tamen requiritur sententia declaratoria ejusdem, ita ut ante hanc secutam hæretici possessionem non amittant, et bona sua fisco tradere non teneantur. Farinacius, *de Hæresi*, q. 190, numer. 5. Barbosa in c. *Vergentis*, 10, h. t. num. 3 et 4. Surdus, *de Aliment.* tit. 9, q. 32, num. 24. Sanchez, lib. II. Disp. 22, nu. 9. Pirhing, h. t. num. 60, cum communissima aliorum, arg. c. *Cum secundum* 19 h. t. ad finem. Ratio est; quia leges pœnales externam executionem requirentes, ante sententiam judicis declarationem non obligant, nisi habeant clausulam alia etiam declaratione non secuta; prout amplius dictum, et probatum est lib. I, tit. II, *de Constitut.* a num. 227.

305. *Nisi hæreticus sit notorie talis.* — Limita tamen hanc conclusionem in casu, quo hæreticus est notorie talis, tunc enim nec declaratoria requiritur, Farinacius *de Hæresi*, q. 190, numer. 5. Navarrus h. t. Consil. 20, n. 5, et seq. Abbas in c. *Cum ab homine*, *de Judiciis*, num. 29. Felinus in c. 1. *de Constitut.* nu. 45. Pirhing h. t. n. 58. Ratio est, quia sententia declaratoria criminis tantum requiritur, ut constet de crimine, ergo si hoc jam notorium est, ita ut celari non possit, declaratio illius non erit expectanda, arg. c. *Evidentia*, *de Accusationib.* Volunt tamen quidam ex præfatis doctoribus, in casu notorii criminis requiri saltem, ut judex assignet terminum ad excusandum factum, quo elapso executio pœnæ fieri potest absque ulla declaratione criminis.

306. *Executio confiscationis a quo, et quomodo fieri debeat: sive sit hæreticus clericus, sive laicus?* — Resp. III. Executio confiscationis fit sequenti modo, videlicet, quod, si hæreticus est clericus, bona ipsius intuitu Ecclesiæ acquisita cedant Ecclesiæ, cui servivit. Sanchez, lib. II, cap. xx, nu. 24. Barbosa in c. *Excommunicamus* h. t. nu. 7. Clarus §. *Hæresis* nu. 13. Covarruvias, lib. III. *Variar. Resolut.* cap. ix, n. 12, et alii, arg. c. *Excommunicamus*, 13, § *Damnati*, h. t. ibi: Si vero clerici applicentur Ecclesiis, a quibus stipendia acceperunt, bona vero illius patrimonialia cedant fisco, puta episcopali, quia clerici hæretici bona patrimonialia

lia nullibi eximuntur a pœna fisci, Sanchez, loc. cit. num. 22. Pirhing, h. t. nu. 68. Farinacius *de Hæresi*, q. 190, num. 154, et alii volentes, episcopum debere bona hujusmodi confiscata ad causas pias applicare. Si autem hæreticus est laicus, confiscatio fit per judicem laicum, et bona confiscata pertinent ad fiscum principis sæcularis, ita tamen ut executio hujusmodi fieri non possit, nisi prius a judice ecclesiastico sententia commissi criminis declaratoria fuerit lata, c. *Cum secundum*, 19, h. t. in 6, ibi: Confiscationis tamen hujusmodi executio, vel bonorum ipsorum occupatio fieri non debet per principes, aut alios dominos temporales, antequam per episcopum loci, vel aliam personam ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata: Quia in causa hæresis solus ecclesiasticus est judex, juxta dicenda infra.

307. *In ea attenditur tempus, et dies criminis commissi, etiam post mortem hæretici.* — Resp. IV. In executione confiscationis attenditur ad tempus, et diem hæresis commissæ, ita, ut etsi declaratoria sententia, quin et accusatio hæresis primum post mortem hæretici fieret, effectus tamen sententiæ retrotraheretur ad diem commissi criminis, et restitutio bonorum ab eodem tempore facienda esset. Farinacius *de Hæresi*, q. 190, numer. 9. Hostiensis in c. *Vergentis*, 10, h. t. et ibi Joann. Andreas, nu. 1, Pirhing h. t. num. 60, cum glossa communiter recepta in c. *Accusatus*, § *Porro h. t.* in 6, art. cit. c. *Accusatus*, ibi: Ad confiscationem post mortem illius nihilo minus procedatur.

308. *Plura de hac pœna. Remissive.* — Plura circa hanc confiscationis pœnam hæreticos afficientem, qui desiderat, legat fuse de illa tractantes Farinacium, *de Hæresi*, q. 190, per totum, Castro Palao, *de Fide tract.* 4. Disp. 5. Sanchez sæpe citatum, et alios.

309. VI. *Liberatio ab omni obligatione, quo servi et alii hæretici erant obstricti.* — Quæritur VI. An vasalli et servi, aliique liberentur a privata obligatione debita hæretico, et fide eidem servanda? Resp. Affirmative. Omnes ob claram juris dispositionem c. fin. h. t. ibi: Absolutos se noverint a debito fidelitatis homini, et totius obsequii, quicumque lapsis manifeste in hæresin, aliquo pacto, quacunq̄ firmitate vallato manent obstricti. Ubi Glossa §. *Absolutos*, bene

observat, hanc pœnam ipso jure incurri, ita ut nulla requiratur sententia declaratoria, si hæresis est manifesta. Fagnanus, in. cit. c. fin. h. t. n. 3. et ibi Abbas, n. 2. Barbosa, n. 3. Gonzalez n. 1. Farinac. *de Hæresi*, q. 189, n. 63, et alii. Ratio est, quia verbum absolutos indicat sententiam ipso jure latam.

310. Nec obstat c. *Excommunicamus* 13. §. *Monentur*, h. t. ubi videtur, requiri sententia declaratoria criminis. Nam contra est, quod hoc capitulum non loquatur de hæreticis, sed de catholicis principibus hæreticos extirpare negligentibus.

311. *Etiamsi obligatio fuerit jurata. Papa potest aliquem absolvere a vinculo juramenti.* — Procedit conclusio etiam in casu, quo quis juratam erga illum, qui in hæresin lapsus est, habuerit obligationem; doctores citati, cum glossa in cit. c. fin. h. t. communiter recepta. Enimvero ex cit. c. fin. h. t. doctores communiter inferunt, posse Papam causa religionis laicos ob delictum absolvere a juramento fidelitatis, et quavis alia etiam jurata obligatione, quam prius erga delinquentem habebant; tum quia in omni promissione censetur excepta religionis causa, Gonzalez in c. fin. h. t. numer. 9, arg. ff. *de In jus vocando*, tum quia in tali obligatione et juramento tacite intelligitur, si talis permanserit, cui de jure communicare licet, seu, si de jure se non reddit inhabilem aut indignum, Glossa in cit. c. fin. h. t. § *Aliquo pacto*.

312. *Qui debet aliquid hæretico, non tenetur solvere illi.* — Inferitur I. Eum, qui aliquid debet hæretico ratione emptionis, promissionis, mutationis, pignoris, depositi, mutui, vel alterius contractus, ipso jure esse immunem ab obligatione; nec teneri servare promissum, pactum, vel contractum, aut fidem etiam juratam hæretico datam. Farinac. *de Hæresi* q. 189, a nu. 59. Abb. in. c. fin. h. t. n. 1. Pirhing h. t. num. 82.

313. *Nec servus ei obedire, vel obsequi.* — Inferitur II. Servos, et vasallos ipso jure liberari a servitio, et fidelitate domini hæretici, sicut et famulos, ac famulas ab obsequio ejusdem.

314. *Qui liberantur ab obligatione hæretico debita adstringuntur fisco.* — Resp. II. Servi, et debitores hæreticorum, quamvis liberentur ab obligatione, servitio, et fidelitate hæreticis præstanda, tamen non absolute liberantur, sed evadunt obligati fisco, ita, ut,

quod prius vi contractus vel alterius tituli debebant hæretico, debeant nunc fisco, et qui prius erat servus hæretici, sit modo servus Ecclesiæ. Farinacius, *de hæresi* q. 189, n. 68. Abbas, in c. *fin. h. t.* et ibi Socinus, n. 1. Felinus, prin. Barbosa, nu. 6. Castro Palao, *de Fide tract. 4* Disp. 4, pun. 26, nu. 21, eoque teste communis, et certa aliorum. Ratio est, quia juxta dicta, omnia hæreticorum bona jura, et obligationes cedunt fisco ergo etiam jura quæ habebant in servos, et debita passiva.

315. *Exemptis servis catholicis.* — Limitant tamen conclusionem Castro Palao, loc. cit. Pirhing, h. t. numer. 81, et alii in servis catholicis, quos plene liberari, et sui juris fieri: servos vero infideles, aut hæreticos in servitium fisci transire volunt, argument. c. *Manichæos*. 4, § fin. h. t.

316. *Fides publica, per auctoritatem publicam data, etiam hæreticis servanda est.* — Resp. III. Licet quis fideliter liberetur a privata fide, et obligatione etiam jurata hæretico facta arg. c. *fin. h. t.* tamen fides publica a principe, vel republica, vel alia publica auctoritate illi data omnino servanda est. Farinacius, *de Hæresi*. q. 197, a num. 24. Castro Palao, loc. cit. num. 22. Clarus § *Hæresis*. num. 18. Menochius, *Consil.* 106, nu. 226. Becanus, *de Fide* cap. xvi, q. 1, num. 8. Pirhing, h. t. num. 83, cum communi aliorum, arg. c. 1 et 3 *de Pactis*, L. 1, ff. eod. et l. *Postlimin.* 5, § 3, ff. *de Captivis*; ubi etiam hosti fides data dicitur servanda. Ratio est, quia ita exigit bonum commune, utpote quod multum turbaretur, et pateretur, si hæreticis publica fides non servaretur, ut consideranti patet.

317. *Idque vi jure gentium, ac divini.* — Accedit, quod fidem publicam omnibus etiam infidelibus et hæreticis servandam esse, velint etiam jus gentium, et sacræ Pagine, Josue cap. ix, v. 18, et 2. Reg. cap. xxi, v. 6, necnon sacræ Historiæ, ex quibus constat, Deum ultorem fuisse violatæ fidei, publicæ, cuicumque datæ.

318. *Hussio fides publica data in consilio Constantiensi non fuit facta. Fidem frangenti fides frangi potest.* — Murmurant quidem, et conqueruntur communiter hæretici publicam fidem a concilio Constantiensi datam Hussio, non fuisse servatam, utpote quem non obstante dicta fide dicunt combustum. Ast iniqua et mendax est hæc murmuratio ac querela; tum quia fides publica Hussio

non fuit data concilio generali, sed ab imperatore; tum quia imperator ei fidem publicam tantum dedit ad hoc, ut esset securus ab omni violentiâ contra jus inferenda, quam Hussius passus non est, utpote qui de hæresi convictus, mortis reus factus fuit: prout nonnulli etiam A catholici fatentur auctores, in specie Mynsinger, *Cent. 1 Observat.* 82. Tum quia Hussius prius fregerat fidem, cum contra eam imperatori datam, et contra hujus prohibitionem sub pœna capitali factam arripuerit fugam, ut bene demonstrat Becanus *de Fide* cap. xvi, q. 6, et per consequens male factum non fuisset, si dato, non concessio, fides eidem fracta fuisset, juxta tritum illud, frangenti fidem, fides frangatur eidem, arg. l. *Qui fidem* 16, ff. *de Transact.* et c. *Sicut* 29, § fin. *de Jurejur.* ibi: Juramentum, quod de assensu factum est utriusque, eum non ligat, qui præstitit, dum ille, cui præstitum fuerat, servare negligit et c. *Frustra*. 72, *de Reg. jur.* in 6, ibi: Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat.

319. *Hæretici impœnitentes ultimo supplicio affici, et comburi debent, etiam clerici, prius tamen degradati.* — Queritur VII. Qualiter pœna corporalis, carceris præsertim, et ultimi supplicii statutæ sint in hæreticos? Ante responsionem notandum, esse in hoc puncto aliquod discrimen inter hæreticos pœnitentes, et impœnitentes, relapsos, et non relapsos. Hinc ut clara habeatur notitia, de singulis specialiter respondebimus. Et quidem circa impœnitentes. Resp. I. hæretici impœnitentes, id est, convertere se nolentes, sed in hæresi sua pertinaciter perseverantes, ultimo supplicio afficiendi sunt, sive clerici sint, sive laici, ita tamen ut clerici hæretici prius degradentur, et postea potestati sæculari pœna mortis plectendi tradantur. Farinacius, *de Hæresi*. q. 196, num. 4. Clarus, v. *Hæresis*. num. 7. Abbas, in c. *ad Abolendum*. 9, num. Pirhing, h. t. num. 92. Engel, h. t., num. 15. Castro Palao, *de Fide*, tract. IV, disp. 6, part. 2, n. 3. eoque teste omnes, arg. l. *Ariani*, 5, l. *Quicumque*, 8, c. h. t. c. *Excommunicamus*, 15, h. t. ibi: « Damnati vero per Ecclesiam, sæculari judicio relinquuntur, animadversione debita puniendi, clericis prius a suis ordinibus degradatis, » cum concordantiis, et constitutione Caroli V, 1540, edita, vi cuius hæretici impœnitentes comburi, respiscentes

vero gladio feriri jubentur: Quibus accedit consuetudo optima legum interpret, qua constat, hæreticos impœnitentes igne comburi: quo casu os eorum, et lingua ligari debet, ne suis blasphemis pusillos scandalizent, uti pluribus allegatis bene advertit Farinacius, loc. cit.

320. *Hæretici relapsi etiam pœnitentes ultimo supplicio afficiuntur.* — Resp. II. Pariter ultimo supplicio afficiendi sunt hæretici relapsi, etiamsi eos pœniteant, hæresinque denuo abjurent, et plene se convertant. Clarus, § *Hæresis*, num. 7. Felinus, in c. *Ad abolendam*, 9, h. t., n. 2, et ibi Hostiensis, num. 9. Abbas, n. 1. Barbosa, n. 20. Farinacius, *de Hæresi*, q. 195, a n. 4. Castro Palao, loc. cit., num. 7, eoque teste omnes, arg. cit. c. *Ad abolendam*, 9, h. t. ibi: Illos quoque, qui post abjuratorem erroris, vel postquam se, ut diximus proprii antistitis examinatione purgaverint, deprehensi fuerint in abjuratam hæresin recidisse, sæculari judicio sine ulla pœnitentis audientia decernimus relinquendos. Concordat, c. *Super eo*. 4, et c. *Accusatus*, 8, h. t., in 6. Ratio est, quia longe pejus et periculosius est, incidere in hæresin, quam primum incidere.

321. *Relapsi alii sunt vere tales, et qui?* — Dicuntur autem relapsi, vel vere et proprie, vel fecte, seu præsumptione juris. Vere et proprie relapsi dicuntur, qui postquam confessi, vel convicti hæresin abjurarunt, id est, jurejurando execrati sunt, in eam iterum incidunt, ita ut de eadem denuo convicti, vel confessi in judicio existant. Farinacius, *de Hæresi*. q. 195, num. 3. Pirhing, h. t., n. 94.

322. *Alii fecte tales.* — Fecte vero, seu ex præsumptione juris relapsi dicuntur tripliciter. Primo, qui de hæresi accusatus propter vehementem suspicionem in judicio abjuravit hæresin, et postea in eam iterum ita lapsus est, ut eadem vel convictus, vel confessus habeatur. Farinacius, loc. cit., cum communi, textu claro c. *Accusatus*, 8, prin. h. t. ibi: Accusatus de hæresi, vel suspectus, quia magna de hoc crimine et vehementis contra eum suspicio orta erat, si hæresin in judicio abjuravit, vel postea committit, in ipsa censi debet, quadam juris fictione relapsus, licet ante abjuratorem suam, hæresis crimen plene probatum non fuerit contra ipsum. Qualiter relapsus æque, ac vere relapsus, ultimo supplicio est afficiendus, ut bene advertit Glossa in corpore communiter recepta.

323. Secundo dicitur quis fictione et præsumptione juris in hæresin relapsus, qui postquam in una specie hæresis reus, hæresin universaliter abjuravit, postea in aliam hæresis speciem incidit, c. *Accusatus*, 8, § Eum vero, h. t. in 6, ibi: Eum vero, qui in una hæresis specie, vel secta commisit, aut in uno fidei articulo, seu Ecclesiæ sacramento erravit, et postmodum hæresin simpliciter, vel generaliter abjuravit, si ex tunc in aliam etiam hæresis speciem sive sectam, aut alio articulo, seu sacramento committat, volumus ut relapsus in hæresin, judicari. Rationem bene assignat Glossa, ibid. v. *Judicari*, videlicet, quia omnes hæreses sunt connexæ, habentes caudas ad invicem colligatas, et in vanitate conveniunt in idipsum, c. *Excommunicamus*, 13, h. t. Unde et hujusmodi relapsos ultimo supplicio affici debere rursus concedunt omnes.

324. Tertio dicitur fictione juris relapsus, qui post abjuratam hæresin, in eadem notorie non incidit quidem, sed favet hæretico, c. *Accusatus*, 8, § Ille quoque h. t., in 6, ibi: Ille quoque, de cujus lapsu in hæresin ante abjuratorem constiterat, vel nunc constat: si post illam hæreticos receptet, deducat, visitet, sive associet, aut dona, aut munera eis donet, vel mittat, seu favorem eis impendat, qui excusari non possit (videlicet propter necessitatem famis, ut si elemosynam det hæretico in extrema, vel gravi necessitate, vel si ignoret, illum esse hæreticum, prout explicat Glossa hic v. *Non possit*) merito debet judicari relapsus, cum illum ex approbati a se prius erroris consequentia non sit dubium, id fecisse. Et hi quoque per jura citata, et communem doctorum pœna mortis plectuntur.

325. *Hæretici non relapsi, si statim, ac deprehendantur, se pœnitent, pœnam mortis evadunt.* — Resp. III. Hæretici non relapsi, si statim, postquam deprehensi fuerint, sponte errorem suum confitentur, et sese pœniteant, hæresinque publice abjurent, evadunt pœnam mortis. Fagnanus, in c. *Ad abolendam*, 9, h. t., num. 15. Farinacius, *de Hæresi*. q. 193, a n. 2, cum communi, et certa aliorum, arg. cit. c. *Ad abolendam*, 9, h. t. ibi: Puniendus, nisi continuo post deprehensionem erroris, ad fidei Catholicæ unitatem sponte recurrere, et errorem suum juxta arbitrium episcopi publice consenserit abjurare, et satisfactionem condignam exhibere. Concordat, c. *Excommunicamus*, 15, § *Si qui*